

**www.e-rara.ch**

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,  
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad obtinendum  
futurum infinitum, cum participio salutis**

**Abraham**

**Coloniae Agrippinae, anno 1719**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRa 53: b

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25379>

Sermo XL. De confessione sacramentali.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# S E R M O XL.

D E

## Confessione Sacramentali.

*Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Pl. 37. v. 19.*

1. **Q**UAMVIS multa sint, quæ de proposita materia tractari possent, attamen brevitas studio omiſſis aliis potiſſimum exempla in medium afferre libet, ut his conspectis intelligat, quantum bonum sit Confessio Sacramentalis, si ritè per-  
*Trid. S. 14. c. 1.* agatur, & quantum malum, si malè frequentatur. Est autem Confessio Sacramentalis, in quo peccata sua detestanti, & legitime confitenti vera à Sacerdote absolutio remissioque conceditur. Requiritur autem tres præcipuè partes ad Confessionem, videlicet contritio seu animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda pars, est narratio peccatorum. Tertia pars, eaque integralis duntaxat (nam priores sunt de essentia hujus Sacramenti) est ipsa satisfactio. Hanc porro Confessionem, ut ejus exercitium nobis inculcaret, mirum in modum laudat S. P. Augustinus, dum ait: Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? Obstruit os inferni, portas aperit Paradisi. Confessio, ut loquitur S. Isidorus, sanat, confessio justificat. confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in Confessione consistit. In Confessione locus misericordiæ est. Nulla tam gravis est culpa, quæ per confessionem non habet veniam: hætenus Isidorus. Et quod hoc verissimum sit, colligitur ex eo, quod subjungo.

2. Cùm ad Cœnobium quoddam aliquando devenissem, ait S. Climacus, animadverti Judicis, Pastorisque optimi terribile judicium. Nam dum illic moram traherem, contigit quendam ex latronum ordine ad monasticæ conversationis gratiam venire. Quem optimus ille Pastor quiete omni perfrui jussit, ut monasterii statum, normamque omnem perspiceret. Post diem verò septimum seorsum accitum Pastor interrogat: Num censeret optimum cum illis unà habitare? Annuente illo, rursus quid in sæculo iniquum operatus? interrogat. Cùm omnia promptè & accuratè ediceret, volo, inquit Abbas, ut hæc cuncta in præsentia omnium fratrum edisseras. Ille revera sua detestans scelera, omnique confusione calcata, & jam in Alexandria Civitatis medio, inquit, id peragam. Itaque collectis in Ecclesia omnibus fratribus [erant autem numero 220.] cum consummarentur divina Myſteria, lecto Evangelio inferri reum jubet, quibusdam

*Grad. 4.  
Historia.*

dam illum ex fratribus trahentibus, modicèque verberantibus, vinctum post terga manus, asperrimoque cilicio amictum, conspersumque cinere caput praeferentem aded, ut ex ipso aspectu cuncti attoniti haerent. Cùm verò jam Ecclesiae januis appropinquaret, magnâ illum & terribili voce compescuit Pastor. Sta, inquebat non enim es dignus, ut hujus loci linen attingas. Tunc ille Pastoris voce percussus ac tremebundus, & omni pavore turbatus in faciem protinus corruit. Cùm verò jaceret humi, & pavementum madefaceret lachrymis, permittitur ab admirabili medico cuncta, quæ gesserat, sigillatim & per species dicere. Ille verò cum hœrore ingenti omnia singulatim confessus est (quæ audiens omnis Cætus supra modum exhorrebat) non tantùm quæ per corpus præter naturam, ac secundum naturam in mutis ac brutis animalibus deliquerat, verùm etiam veneficia & homicidia, & similia, quæ audire vel scribere horror est, nihil omninò reticens. Confessum igitur statim tonderi, fratribusque aggregari fecit. Porro Pastor de causa hujus facti à Climaco percontatus ait, ut per temporalem confusionem ab aeterna liberarem, quod & factum: neque enim ex pavimento surrexit, quin peccatorum omnium remissione potitus esset: nec in hac re, ait ad Climacum, dubites; Nam unus ex fratribus, qui illic aderat, mihi procerum quendam ac terribilem virum se vidisse asseveravit, conscriptam chartam ac calamum tenentem, & cùm frater ille humi prostratus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo debebat.

3. Cæsarius narrat, Sacerdotem quendam violasse conjugem cujusdam militis, qui ex certis indiciis suspicionem de hoc habuit. Experturus igitur rei veritatem Sacerdotem illum amicè ad aliquod invitavit colloquium, dum verò miles cum Sacerdote ad quandam villam venisset, ubi obsessus erat, qui circumstantibus peccata per veram confessionem non detecta improperebat, & Sacerdos sibi conficius suspectum habuit militem, & ne à daemoniaco proderetur, necessitatem naturæ simulans intravit illius villæ stabulum, & coram stabularii pedibus prostratus dixit: Rogo te propter Deum, ut audias Confessionem meam. Factâ verò confessione, cùm sibi aliquid Sacerdos injungi peteret, respondit ille, dicens: quantum alteri Sacerdoti pro tali crimine injunxeritis, hæc sit satisfactio vestra. Sicque exiens securior cum milite Ecclesiam adivit, in qua daemoniacus erat, qui requisitus à milite in hæc verba: Nescis aliquid de me? hoc enim ex industria fecit, ut Sacerdoti tolleretur suspitionem. Cui daemon: nescio, quid respondeo. Adjecit, quid videtur de isto homine? respondit, nihil de eo scio. Et cum dixisset hoc linguâ teutonicâ, latine mox subjunxit: In stabulo justificatus est, quia tunc nullus aderat Clericorum. Unde clarè conspici licet, quantæ sit efficaciæ humilis suorum peccatorum accusatio. Nam si hic Sacerdos à sacrilego adulterio absolutus sit interea, ideo quia fassus est suum delictum stabulario cum proposito confitendi legitimo Sacerdoti, si adesset; quare extra omnem dubium est, justificari illum, qui delicta sua Sacerdoti absolvendi potestatem habenti legi-

*Apud  
Discip.  
Historia.*

1. Joan. 1.  
v. 9.  
2. Reg. 12.

Super  
Beati  
imma-  
culati.  
Ps. 37.  
u. 4.

timè confitetur. Si enim, teste S. Joanne, *confiteamur peccata nostra, DEUS fidelis est justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hoc expertus est David, qui repræhensus à Nathan Propheta super peccatum adulterii & homicidii dixit: Et ecce, vix hanc voculam *peccavi*, contrito corde protulit, mox audire meruit, Dominus transtulit peccatum tuum. Meritò itaque S. Ambrosius ait: Qui se accusat, etiamsi peccator sit, Justus esse incipit, quia nec sibi parcat, & Dei Justitias confitetur. Cessat enim vindicta Divina, si confessio præcurrat humana. Hinc Psalmista: *Iniquitatem meam*, ait, *annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Sciebat enim haud reperiri melius amuletum contra peccata, quam eorundem Confessionem; quæ cuncta non obscurè confirmata manent sequenti Historia.

Casarius  
Dial.  
apud  
Discipul.  
Historia.

4. Sacerdos quidam, cùm tempore Quadragesimali in Ecclesia sua federet, & sibi commissorum subditorum confessiones audiret, aliis recedentibus, atque aliis illic accedentibus, inter expectantes quidam stabat, quantum ad apparentiam corpore juvenis, & robustus, confitendi tempus expectans. Omnibus igitur expeditis ipse novissimè accessit, qui tanta & tam enormia confessus est crimina, ut Sacerdos tam horrore quam tædio gravatus diceret, si mille essem annorum, essent hæc peccata nimis multa. Cui diabolus ampliùs, ait, quam mille sum annorum. Unde Sacerdos territus, quis, inquit, ergo es tu? Ego sum unus, respondit ille, ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt, peccata mea ex minima parte tibi confessus sum, sed si velles audire residua, ea confiteri paratus sum. Sciens autem Sacerdos peccatum diaboli esse insanabile, dixit: Quid tibi cum confessione ô diabole? qui ait: stabam ex opposito tui, vidique ad te peccatores accedere, & redire justos, ita & ego hanc gratiam sperans ad confessionem accessi. Cui Sacerdos, poteris consequi similem indulgentiam, si pœnitentiam à me tibi imponendam contrito corde expleveris. Et dæmon, si tolerabilem mihi injunxeris satisfactionem, parebo tibi. Ego, inquit Sacerdos, valde modicam imponam nempe hanc: Vade, & tribus vicibus indie jacta te in terram, & dic: Domine DEUS Creator meus, ego peccator peccavi tibi, ignotce mihi. Quam pœnitentiam cùm diabolus nimis gravem esse diceret, dixit Sacerdos: quare in tam modico gravaris? Non possum, ait dæmon, in tantum me humiliare ei. Aliud quidquid injunxeris mihi, id libenter suscipiam. Tunc indignatus Sacerdos subjunxit: O Diabole! si tanta est cordis tui superbia, ut nec velis, nec possis te in tam modico humiliare Creatori tuo, recede à me, quia neque hic neque in futuro misericordiam consequeris. Ad quam vocem dæmon mox evanuit.

Specul.  
Ex. verb.  
Confess.  
ex ep. 15.

5. Confessio igitur tantam habet vim, ut homines variis sordibus plenos transtulerit in nive candidiores; idcirco meritò eam stygius hostis perhorrescit. Nam cùm Magister Thomas Theologus in lecto decumbens jamjam moriturus esset, vidit diabolum in angulo stantem, quem promde verbis a S. Martino olim usurpatis [quid adhas cruenta bestia? dic mihi, quid est, quod maxime vobis noceat, allo-

alloquens, cum nihil ab initio responderet, per DEUM, qui iudicaturus est vivos & mortuos, & sæculum per ignem, respondere coëgit, & sic loquentem audivit: Nihil est in Ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic vires nostras enervet, quam frequens Confessio, quia per hanc vincula peccatorum mortalium, quibus nos illum constrictum tenemus, rumpuntur. S. Astion Martyr, adhuc Juvenis acrem pugnam cum dæmone habuit, quam, quoad celavit Magistrum S. Epistum, frustra pugnavit: ut verò immunditiam cordis aperuit, mox à turpi cogitatione liberatus est, & diabolus ab eo in specie nigri pueri cum ignea face discedens dixit: Confessio tua, ô Altyon, magnas meas vires contrivit, & inermem me reddidit. Igitur si cupimus contra diabolum prævalere, accedamus sapius corde humili & contrito ad sacram Confessionem. Sicut enim araneus vitat cubicula divitum, quæ sæpè purgari consueverunt, eò quòd in illis suæ telæ mox detergantur; ita & diabolus, dum videt suas tentationes frequenti confessione dissipari, fugit eos homines, qui frequenter confitentur.

L. 1. Vte.  
PP. in  
vita c. 11.

6. Verum enim verò, tametsi Confessio quàm plurima causet bona, si hæc ritè peragitur, non tamen sic si malè. Qui enim scienter peccatum mortale omittit, dum confitetur non medicinam sed venenum sumit, & peccata peccatis cumulat: quod colligitur ex hoc tragico casu. Erat Matrona quædam nobilis, quæ multis annis in Confessione adulterium perpetratum ob verecundiam omisit, ad cuius fæminæ castrum cum duo Dominicani (quorum unus erat Pœnitentiarius Papæ) divertissent, ibique etiam celebrassent, multum gavisa est prædicta Domina ob tam opportunam occasionem peccata sua confitendi: dicebat enim intra se: nequaquam oportet te hos formidare, nec verecundari, securè poteris his confiteri, cum sint peregrini & ignoti. Quamobrem Pœnitentiarium rogavit, ut suam confessionem excipere dignaretur, quod ille libens volens præstitit. Itaque dum mulier confiteretur, ad singula peccata de ore ejus exivit bufo abominabilis, & saltavit per Ecclesiam. Tandem enorme peccatum, dum confiteri voluit, de ipsius ore terribilissimus draco caput suum emittere cœpit, exire tamen non voluit, quia fæmina verecundiâ devicta crimen celavit. Unde mox omnes bufones ante expulsi redeuntes ad confitentem mulierem saltarant, & in os ejus rursus intrarunt. Confessione peractâ mox dicti Religiosi itineris sui cursum prosecuti sunt. Hinc alter omnia, quæ in spiritu viderat, Pœnitentiarium narravit, unde territus ad Dominam exhortandam rediit, at illam jam repenti extinctam invenit. Unde ambo tristitiâ obruti statuerunt tribus diebus jeuniis & orationibus insistere, ut misericors DEUS huic defunctæ animæ misericordiam præstaret, aut saltem illis statum, in quo est, manifestare dignaretur. Elapsis igitur tribus diebus defuncta apparuit draconem horribilem equitando, cujus collum duo venenati serpentes amplexando cingebant, & ubera ejus sugendo dentibus diripiebant, cujus etiam oculos duo bufones possidebant, & ex ore ipsius ignis sulphureus emanabat intolerabili fœtore plenissimus. Ejus etiam manus à duobus rabidis

Author  
qui se vocat.  
Disc.  
Historia.



nare posset. Hinc Regia principissa voti sui jam compos nihil magis habuit, quam ut labentes Ecclesias restauraret, novasque ædificaret, Monasteria ac hospitalia fundaret, unum quidem non procul à propria domo, in quo pauperibus ac infirmis obsequium præstabat. Vita ejus sic virtutibus radiabat, ut prorsus nulla deesse videretur. Exceptis diebus Dominicis jejunium protraxit per integrum annum, veste cilicinâ utebatur ad operiendos artus, orationi multis horis indefessè vacabat, tenerum corpusculum suum rigidis pœnitentiæ operibus afflicto, in cunctis virtutibus sic excellebat, ut sicut antea miraculum naturæ, ita nunc etiam miraculum divinæ gratiæ ab omnibus suspiceretur & æstimaretur. Cùmque hanc tam sanctæ vitæ methodum constanter prosequeretur, à morte præventa novissimum diem suum obiit. Interea Matrona Nobilis, quæ defunctam à teneris annis educaverat, vehementer scire discupiit, quidnam circa eam in altera vita ageretur, & ideò multis apud Deum precibus instigat. Ecce dum vice quadam in hac oratione vigilaret, repente porta conclavis curæ impetu aperta fuit, & mox orcinæ spectra intrabant, in quorum medio anima erat in specie mulieris, constricta undique ignitis catenis, & induta vivis Scorpionibus, quorum unus major & crudelior cæteris corejus adeo torquebat, ut miserabiliter anima ejularet. Pia Domina ob hoc visum sic consternata est, ut in terram horrore prostrata conciderit, ad quam conversa anima, eam nomine proprio compellabat dicens: Noli metuere, scias autem me esse filiam Regis Hugoberti, antehac tuam bonam amicam: Ad quem sermonem illa adhuc magis exhorrescebat. Hinc ad Deum conversa in hæc prorupit verba: O Domine Deus! ubi est rectum Judicium tuum? ubi est infinita clementia & misericordia tua? Quomodo est possibile, ut tam honesta vita tam severè puniatur, & tam virtuosa anima æternùm damnetur? Ah DEUS! Quis ergo salvus fiet? Hæc verba defuncta refutavit, dicens: Scias omnis causa damnationis est mea, Deus non est in causa, sed mihi ad meum proprium quidem pudorem, ad aliorum verò cautelam imperat, ut manifestem totam seriem, quæ sic se habet. Notum tibi est, quemadmodum ego ab incunabulis lectioni librorum addicta eram, & dum ipsamet ex lectione fessa eram, curavi mihi prælegi ab aliquo Ephebo, erga quem non nihil amore ferebar. Vice quadam dum lectionem finiisset, amabilius petiit osculari manum meam, quam etiam ipsi porrexi. Quod cùm postmodum sæpius peteret, ego ter vel quater id petmisi, & ille singulari amoris affectu osculabatur manum meam, quam etiam diutius tenebat & premebat, & dum nullam vidisset resistantiam audacior factus aliud à me petiit, sic cum ipso lapsa florem virginitatis meæ corrupi. Peccato perpetrato sic confessâ sum meo Confessario: Reverende Pater accuso me, quod nescio qualem petulantiam cum aliquo Ephebo commiserim: Unde ille in me vehementer & imprudenter invehebat dicens: quid est hoc? Illustrissima princeps aliquid tale? Sic rubore suffusa dixi, tantum in cogitatione habui. Ad hæc Confessarius adluc im-

prudentiùs ait : Nec in cogitatione decet tantam personam. Hinc animo cecidi , decrevique peccatum commissum reticere , dixique me hoc tantùm somniâsse , sicque absolutionem à Confessario accepi , non tamen à peccatis absoluta fui , quin imò me adhuc majoribus sceleribus ob sacrilegam confessionem impiavi. Postmodum , ut Deus meum occultum peccatum mihi remitteret , cœpi pauperibus largas eleëmofinas distribuere , ac carnem meam rigidis mortificationibus atterere , sperans per hæc misericordiam Dei consequi : Deus verò omnia bona mea opera remuneravit per salubres inspirationes , ac interna incitamenta , ut tandem semel confiterer meum peccatum. Tandem in gravem infirmitatem incidi , in qua Deus ad cor meum loquebatur , & me monebat hanc esse ultimam infirmitatem. in qua moriat : Proinde ut faciam legitimam Confessionem , se enim paratum fore mihi misericorditer peccata relaxare. Omnes etiam Medici de vita mea desperârunt. Imò planè vocem è cælo missam in hæc verba audivi. Confitere , est quidem tardè , attamen adhuc est tempus. Quamobrem curavi vocari Confessarium , cui incepti confiteri , dixique ah ! quàm magna peccatrix sum ego , Confessarius autem mihi dicebat , has esse tentationes diabolicas , proinde ut eas non curarem , monuit , paulò post venit ultima vitæ hora , in qua sum mortua. In illo momento , in quo anima è corpore fuit egressa , iusto Dei Judicio tradita sum infernalibus spectris , quæ me in abyssum maximorum tormentorum præcipitârunt , ubi nunc patior cruciatus sine fine duraturos. His dictis disparuit cum tam terrifico fragore , ac si mundus totus ruere videretur , implevit præterea conclave intolerabili fœtore , qui in testimonium hujus maledictæ animæ multis diebus duravit.

8. Quis lectâ hâc historiâ non totis artibus contremiscat , expallefcatur , exhorrescat ? Dum videt omnia hujus feminae opera quamvis rigidissima in auras abuisse , ô si peccatum confessâ mox ab initio fuisset , & postea vitam , quam duxit , etiam profecuta fuisset , quid putamus , ad qualem non Sanctitatis gradum evecta fuisset ? ah ! quia ob verecundiam peccatum celabat , non tantùm omnia perdidit , sed insuper ad æternum ejus pudorem Deus occultum peccatum manifestavit , quò reliqui ejus exemplo cautiore fierent : Meritò ergò ait

*Sup. P.* S. P. Augustinus : Non operui , sed aperui , ut operires , non celavi ut tegeres , nam quando homo dregit , DEUS regit ; cum homo celat , DEUS nudat. Cum homo agnoscit , Deusignoscit ; Hinc etiam docemur , quanti referat prudentem , peritum piunque conscientie moderatorum habere ; ob cujus defectum hæc anima tam misere perit. Stultissimè ergò agunt homines illi , qui non nistrudes aut laxos Confessarios deligant. Quæ enim est ista vesania & infania , in morbis corporis peritissimos medicos adhibere , & undique conquirere , in periculis verò animæ se rudibus & imperitis committere ? Terribile exemplum in hoc argumento est , quod scribit P. Philippus Doutremann Soc. JESU : Vir quidam nobili ortu in Italia , iniquissimo aluetus scœnori , & obstinatè inhærens ,

edque

*In Pa-  
dag.  
Christia-  
no tom. 1.  
p. 26. 14.*

eoque nomine infamis, cum diu neque à Societatis Patribus, neque ab aliis plerisque Religiosis absolutionem à peccatis impetrare potuisset, invenit tandem è quadam Religiosa familia unum aliquem, qui alios nimis Religionis incusans, quoties ille velleret, toties impio sceleratori aures daret, & absolveret. Fuit hic conscientia arbiter peracceptus impio usurario, quem ut eò etiam haberet benigniorem, sæpè ad familiarem mensam invitabar, & habebat liberaliter. Dum ergo ita vivitur, nocte quadam vir ille nobilis, cum paulò ante cum egregio suo Confessario cenasset, subito extinguitur. Sub idem autem tempus demones duo famulorum habitu Monasterio adsunt, pulsatisque foribus Religiosum evocant adstiturum agenti, ut agebant, animam. Non est ille tergiversatus, sequitur cum Socio non segniter. Ventum erat ad forum: & ecce cernitur homo ille nobilis in herili roga obambulare; cumque Religiosus jam in famulos, quòd ab iis delictum se crederet, bilem aeveret, adest tristis umbra, atque inter mortuos se esse, & jam æternis virginitibus, quod in turpi vita, turpiori deditus lucco, sacra toties profanare ausus esset; & te quidem, horrenda voce subjicit, Sacerdos perditissime, à quo ex officio corripendus essem, connivente; Quapropter eris mihi pœnæ socius, qui sceleris fuisti approbator. Hoc dicto duo illi ficto habitu famuli, singuli singulos Nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos abripiunt, socio cœnobitæ præter ore penè exanimato; qui deinde revocato animo ad Monasterium rediit, & funestum Sacerdotis exitum, remque totam, ut gesta erat, enarravit.

9. In hujusmodi Confessariis iure intorquetur illud Christi pronuntiatum.

*Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem, sic cæco ducatur præstet, am-* Mat. 18.

*bo in foveam cadunt.* Id quòd in hac historia factum, & timendum, ne in pluri-

bus fit, nam error sequitur ex errore; & cum Pastor, qualis deberet esse Confes-

sarius, per abrupta graditur, necesse est, ut grex in præcipitium feratur. S. Gregorius Luc. 10.

ait: Bonus animorum medicus Evangelicum Samaritanum imitatur, qui fauciatum

in itinere offendens, alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. S. P. Augu-

stinus à Glossa citatus ait: Alligavit vulnera ejus, id est, peccata redarguendo cohibuit;

Sed quomodo alligavit? Infundens oleum & vinum, rigorem socians clementiæ.

Hinc S. Gregorii ad ministros hujus Sacramenti instructio est: Per vinum mor-

deantur vulnera, per oleum foveantur; miscenda est lenitas cum severitate; sit ri-

gor sed non exasperans; sit zelus sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non

plùs quàm ex ediat. Unde primò delinquent Moderatores conscientia, qui leni-

endo tantùm & unguendo ægrotum graviter decumbentem sanare volunt, cum ta-

men acrioribus remediis opus esset, malumque secando & urendo rescindendum.

Væ Confessariis doctrinam hanc contempnentibus. Nam ut Ezechiel ait: qui si C. ap. 3.

non locuti fuerint, ut peccator avertatur à via sua impia, & vivat, ipsi cum impio E. 30.

pares pœnas dabunt, & Medicus cum ægrotò peribit, cujus Sanguis de manu

ejus requiretur. Aptè ad hoc propositum observat S. Albertus magnus in illum lo-

cum Luc. 7. Quando Christus viduæ filium à morte suscitaturus dixit: Adolescens,

tibi dico, surge; Ut videlicet Confessarius priusquam dicit: *Surge nempè absolute*. Exemplo Salvatoris tangat loculum, & jubeat stare, qui portant funus. Tangere, inquit, Albertus, loculum, id est, Conscientiam [ peccatoris factentem ] per correctionem: stent portitores, hoc est, occasiones & opportunitates peccandi. Nam teste S. P. Augustino. Satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas rescindere, præsumptio est non pœnitentia, in lubrico velle stare, ubi tot alii ceciderunt. E contrario cavendum etiam est Conscientiarum arbitris, ne aligent onera importabilia. Equidem quid medicus prodest, qui vulnera non sanat, sed exasperat? & plagas detegenti, plagas accumulatur? Itaque qui paternè vult agere cum pœnitente, contritionem eliciat non indignationem; in pœnitentem peccatorem erigat, non coniciat in desperationem. Etsi enim nonnullis induratis malleo opus sit, ut coneratur, sunt tamen & alii, qui acri monitione penitus franguntur, ideò circa tales oleo lenitatis potiùs, quàm vino severitatis utendum est.

10. Hæc de Confessariis dicta sufficiant. Porro ut ad priorem materiam redeamus, sciendum est nedum damnosam erubescenciam sacrilegum que silentium reperiri nonnunquam in sæcularibus personis, sed insuper in personis solennibus votis Deo obstrictis, quod patebit ex historiis subjungendis. S. Antoninus narrat fuisse quandam viduam in libertate constitutam, divitiisque affluentem, quæ etsi in sua viduitate initio laudabilem duceret vitam, paulatim tamen ab inceptis remisit. Juvenis quidam nobilis lares hujus Domine transiens eam perhumaniter salutavit, & licet ab initio illa displicentiam monstraret, gradatim tamen tum frequentibus salutationibus, tum magnis promissis, cor ejus ita emollitum fuit, ut procacem juvenem in domum admiserit, ac paulò post cum eo in peccatum inciderit. Perpetrato flagitio, mox perdidit animum jejunandi, eleemosynas elargiendi, confitendi, communicandi: Nam luxuria est dissipatrix omnium virtutum, & ut S. Job ait: *Omnia eradicans genimina*. Versipellis demon, qui ei verecundiam ad tempus acceperat, hanc eidem restituit, ut pudore victa commissum nefas in Confessione celaverit, tamen non raro Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ frequentaret. Ut verò vermem conscientiam continuo rodentem sopiret, decrevit occultum delictum multis pœnitentiæ operibus delere. Hinc pristina sua jejunia repetit, ac in variis austeritatibus seipsam exercuit, & ut Deo perfectum exhiberet servitium, statuit ingredi P rthenonem. Moniales eam mox admiserunt magnâ lætitiâ gestientes, quòd tantæ existimationis ac nobilitatis ac bonæ famæ Domina ad earum cœnobium intrârit. Porro in Monasterio ita vixit, ut virtutum ejus splendor reliquas sacras Virgines in stuporem defixerit. In Choro erat omnium prima, in obedientia promptissima, in pœnitentiæ exercitiis ferventissima; nihilominus tamen se vincere haud potuit, ut peccatum conscientie suæ arbitro manifestaret. Elapsis aliquibus annis finivit vitæ cursum hujus cœnobii Antistita; in cujus vicem unanimi omnium consensu ele-

Lib. de  
dogmat.  
Eccle-  
siast. cap.  
54.

Historia.

Cap. 31.  
v. 12.

electa fuit dicta Domina in Antistitam. In hac porrò dignitate constituta etiamnum delictum suum in cunctis suis Confessionibus omisit, ne suum bonum nomen & Sanctitatis opinionem apud Confessarium aboleret. Interea Deus eam monuit gravi infirmitate, in qua decessit. Cùmque omnes Medici de ejus vita actum esse dicitarent, agnovit illa nil aliud superesse, quàm ut se Ecclesiæ Sacramentis ad viam præpararet, quod & factum, Sed quales Confessiones præcesserunt, talis & ultima fuit justâ Dei vindictâ ob occultam hujus infelicis mulieris superbiam sic permittente. Perceptis igitur sacrilegè omnibus Ecclesiæ Sacramentis, rogata fuit à pia quadam Moniali, ut, si Deus permitteret, sibi post mortem apparere vellet, ac intimaret, quomodo se in altera vita haberet. Annuis petitis moribunda, ac paulò post spiritum exhalavit omnibus ob jacturam suæ sanctæ (ut rebantur) Matris marentibus & plorantibus, & ut Sanctus Antoninus memorat, omnes post ejus obitum miracula fieri sperabant. Sed Ah! Quàm procul distant Judicia Dei à judiciis humanis? Nam dum sequenti nocte prædicta monialis in Choro precibus intenderet, audit magnum fragorem, & respiciens advertit adesse spectrum miserabiliter ejulans. ad hæc Dei famula horrore obrigit, à Deo tamen confortata animum sumpsit percontandi, quisnam esset? Ego sum, ait spectrum, anima hujus Monasterii defunctæ Antistitæ, ad infernalem ignem æternum damnata. Nostra Sancta Mater? ait monialis, quæ tam austeram duxit vitam omnigenisque virtutibus radiantem, deberet perpetuè damnationis sententiâ fulminata esse? Ita est, ait anima, quia adhuc in sæculari statu peccavi cum aliquo juvene, & ob metum infamiæ, ac ob occultam superbiam semper delictum in Confessione reticui. Manifesta hoc totum tuis Confororibus, non est opus pro me orare aut sacrificare, omnia acta sunt: quo dicto cum magno strepitu dispersit.

1. Huic luctuosæ Tragediæ non est absimilis, quæ sequitur, Erat in pago quodam rusticus, qui cum sua conjuge laudabiliter vixit, hi genuerunt filium, quem nominarunt Pelagium. Hunc parentes in timore Dei pie educarunt. Filius cum annis crevit etiam in virtutibus, cui gregem ovium pascendam commiserunt, monebantque eum, ut ad Sacerdotem vitam Eremiticam non procul inde ducentem diligenter accederet, ac Missæ Sacrificio interesset, multaque alia salutaria documenta eidem impertiebant, quæ omnia Pelagius libens volens præstitit ad eò ferventer, ut passim velut Sanctus ab omnibus æstimaretur, & suspiceretur. Tra factis in hac sanctè vivendi methodo aliquibus annis parentes ejus diem suum obierunt. Hinc rebus suis venditis decrevit soli Deo servire in solitudine quapiam, ubi sibi construxit capellam cum quodam Altari, vitamque Eremiticam hic sic duxit, ut fama Sanctitatis ejus per totam Provinciam dimanaret. Invidit orcus Pelagio tantos virtutum cumulos, quare decrevit eum omnibus modis tentare, quò ipsum ex alto virtutum in peccati laqueum præcipitaret; itaque fœdas immundasque eidem suggestit cogitationes, titillavitque sensus ejus, ac corpus

*In Chron.  
Benedic.  
Historia.*

cupi-

cupidinis facibus accendit. At Pelagius ad orationis præsidium recurrens omnes hæc cogitationes constanter repulit, non tamen idè eum porrò tentandum prætermisit stygius veterator, etsi pluribus vicibus à Pelagio triumphatus, rursus tamen rediit; pugnamque innovavit, ac ei solidas carnis voluptates suggestit, impurique Cupidinis flammæ reaccendit, Pelagius sensim segnior factus, eò tandem pervenit, ut turpi voluptati consentiens diabolo jam tories profligato victoriæ palmam cesserit. Hinc pergravis eum tristitia invasit, quæ animum ejus vehementer turbabat & angebat. Seipsum etiam hæc verbis compellabat: O Pelagi! quid egisti? quàm citò seductus fuisti? ante eras Filius Dei, nunc mancipium diaboli; sincerâ Confessione & pœnitentiâ opus est, si cupis à peccato tuo liberari. Sed quomodo potero pravum & incastum meum consensum confiteri? Si hoc fecero, haud dubiè boni nominis mei famam perdam. Hæc & similia mente revolvens, suoq; eremitorio egrediens vidit hominem prætereuntem peregrini habitu indutum, qui dixit: Pelagi, cur permittis te absorberi tantâ tristitiâ? haud enim decet, qui habet tam bonum Dominum, ut se tanto mœrore conficiat. Offendisti fortassis Deum? age ergò pœnitentiâ, confitere peccatum tuum, & Deus rex optimus Maximus libenter illud tibi remittet. Chare amice, ait Pelagius, unde me noscis? optimè te nosco, responderet Peregrinus, tu enim es Pelagius, qui in tota Provincia tanquam Vir sanctus respicitur & honoratur; Si discipulis à tristitiâ liberari, manifesta conscientiam tuam candidè Confessario & redibit pristina cordis tranquillitas, innubisque animus tibi affulgebit, atque spiritus gaudium rursus in anima tua sedem figet. Ad hæc Pelagius obstupuit, dumque hinc inde respexisset, nullum amplius peregrinum videre potuit. Unde collegit hanc esse monitionem divinitus sibi datam; hinc protinùs decrevit austeram agere pœnitentiâ, mediante quâ offensum Deum sibi propitium redderet; ut autem hoc suum propositum melius exsequeretur, Monasterium quoddam non procul inde abjunctum (in quo rigida vigeat disciplina) adit, cœnobiarcham evocat, eique sui cordis desiderium pandit, Abbas sicut & alii cœnobia magno sunt perfusi gaudio, quòd Pelagius famâ Sanctitatis passim notatus in eorum asceterium admitti flagitet. Quamobrem Abbas eum libens volens suscepit, Religiosoque amictu donavit. Pelagius reliquis cœnobitis jam associatus sic vixit, ut omnes in virtutis stadio currentes longo post se reliquerit intervallo: Etenim primus in Choro, labores quòd abjectiores, eò chariores ei fuerunt; flagellis, ciliciis, jejuniis aliisque austeritatibus frequenter corpus emaciabat, ac spiritui subiciebat. Exacto aliquo tempore dejectus est periculosâ ægritudine, unde agnovit terminum ulterioris vitæ esse elapsum, mors ante oculos jam versabatur, in conscientia verò, quam Deus clementer per internos instinctus movit, continuò occultum peccatum furebat, quòd, de contrito corde confiteretur, identidem internè stimulabatur. Attramen cæcâ formidine damnataque verecundiâ obrutus ad hoc præstandum non potuit seu potius noluit se vincere. Ultimam quidem confessionem de omnibus aliis suis peccatis peragebat

multis irroratus lachrymis, magnaue contritionis signa ostendens; hinc SS. Sacramentum magnâ, ut videbatur, devotione sumpsit, quo percepto vitam præsentem cum æternitate commutavit. Monachi arbitantes se possidere præiosum pignus in corpore Pelagii, magna sumptuosaque solennitate eum sepelierunt, ad cuius sepulturam passim ex omnibus locis homines confluerunt, defunctum Pelagium veneraturi, ac in ejus preces se commendaturi. Posteriâ nocte, Sacrista pro matutino decantando pulsaturus Ecclesiam fortè transiit, vibratisque ad sepulchrum defuncti oculis, vidit cadaver extra humum jacens; unde intra semetipsum ait, fortassis non benè fuit humatum Pelagii corpus, quare illud de novo tumulo intulit, ac de super terram congregavit, nihil tamen de his dicens. Quod cum sequenti nocte rursus accidisset, intellexit Sacrista terram à se eiecisse cadaver, unde stupore defixus cuncta, quæ evenerant, Abbati significavit. Cœnobiarca mox omnes Monachos ad Ecclesiam convocatos monuit precibus insistere, ut divina clementia manifestare dignaretur, quidnam de Pelagii corpore fieri veller. Oratione peractâ convertit se Abbas ad defunctum dicens: Pelagi, cum te semper obedientem fuisse noverimus, ita nunc tibi præcipio, ut nobis pandas tuum desiderium. An fortassis Deus tuum corpus honoratori loco velis sepeliri? responde, & intima nobis divinam voluntatem. Hinc mortuus tracto ex imo pectore suspirio ait: Ah! Heu mihi misero ob unicum peccatum in Confessione celatum! propterea enim ad sempiternos ignes sum condemnatus: accede huc & inspicere meum cadaver, tunc Abbas accessit, ac vidit cadaver instar candentis ferri inflammatum, recedenti verò rursus defunctus dixit: noli recedere, sed accipe, quod in ore meo reperies, idcirco Abbas iterum cadaveri approximans invenit in ore SS. Sacramentum, quod misero ante suam mortem pro viatico porrectum fuit. Abbas ergo Sacram Hostiam adhuc incorruptam ex infelicitis ore extraxit, ac in hujus lamentabilis tragœdiæ tesseram in Sancto aliquo loco separatim eam asservavit. Subjunxit tandem mortuus Deum non velle, ut suum putridum cadaver in sacra terra jaceat, sed ut in sterquilinio sepeliatur; quare Abbas cadaver ex Ecclesia elatum in loco sordido humari mandavit. O quàm facilè hic miser homo potuisset confiteri peccatum suum, sicque irrevocabilem æternæ damnationis sententiam avertere animæque suæ salutem consequi: quia autem hoc neglexit, propria suæ perditionis causa existit.

12. Verùm etsi aliquis omnia sua peccata in Confessione pandat, si tamen non habet firmum propositum seriò se emendandi, Confessio nulla, imo sacrilega erit. Ob cuius defectum plurimi Christianorum ad tartara currunt, quod ex hoc discursu eruere licet. Quæstio est inter Theologos utrum potior pars Catholicorum salvabitur, an verò damnabitur. Quamvis autem circa hoc variæ sint opinioniones, attamen plurimi sentiunt ex fidelibus plures damnari quàm salvari, v. g. si viginti Theologi sunt; quinque erunt, qui docent potiores salvari! quindecim verò, qui contrarium asseverant. Inter hos est etiam Angelicus Doctor S. Tho-

mas, dum explicat illa verba Christi : Multi sunt vocati, pauci verò electi. Ex omnibus Sanctis Doctoribus est quasi nullus, qui non esset hujus opiniois, plures fideles damnari quàm salvari, quod cogitatu terribile est. Solus S. Joannes Damascenus in uno ex duobus sermonibus de mortuis asserit contrarium, tamen CANUS, SOTUS, & BELLARMINUS autumant hanc Doctrinam non esse propriè S. Joannis Damasceni. Ex his oritur dubium hoc : Potior pars Catholicorum moritur cum perceptione Sanctorum Sacramentorum : posito ergò ex triginta moriuntur viginti novem peracta Confessione perceptoque SS. Christi Corpore ac extremâ Unctione, nunc secundum omnem conjecturam apparet non tot damnari. Si dicatur, multos sua peccata in Confessione celare ob verecundiam, etsi ergò ita esset, non est tamen credibile, quod major Christianorum pars id factitare soleat. Quæ ergò causa, quòd tot damnentur ? Qui studiosius hanc quæstionem rimantur, reperiunt causam esse hanc : quia Confitentes non se extorò corde ad Deum convertunt, sed quod maneat habitualiter ad peccatum conversi ob defectum firmi propositi se emendandi. Videmus enim, plerosque peractâ confessione tam malè vivere, quàm antè, & è Confessionali seu Ecclesia domum reduces, simul, velut canis ad vomitum, ad pristina sua peccata redire, quod non leve argumentum est, defuisse efficacem voluntatem à peccatis se abstinendi : Docet enim S. Thomas, quod voluntas efficax etiam media efficacia adhibeat, ac executionem operis consideret ; quod pura velleitas seu voluntas inefficax non agit. Cum ergò multi nulla adhibeant media pro secutura emendatione, nec occasiones peccandi declinent, ideo non habent efficacem voluntatem se emendandi & consequenter Confessio invalida ac sacrilega efficitur. Quia ergò non pauci per decursum vitæ sic confitentur ex consuetudine potiùs, quàm zelo meliùs vivendi, ideo Deus occulto suo judicio permittit similes in penam peccati non meliores facere Confessiones in morte, qualis enim vita, mors est ita, ita qualis Confessio præcessit in vita, talis & subsequitur ante mortem. Sic moritur, sic itur ad inferos : quæ omnia unâ alterâve Historiâ comprobare libet.

*Historia.*

13. Bernardinus de Bussi narrat mortuum fuisse Parisiis quendam studiosum in flore ætatis suæ, cujus Magister erat præclarus Doctor Silo, qui hunc studiosum ob singulare suum ingenium præ cæteris suis discipulis suspexit ac dilexit, hinc etiam ei fideliter in infirmitate assistit usque dum animam ageret. Priùs autem peractâ confessione non sine lachrymis percepit SS. Christi Corpus pro viatico, unde mortuus magnam spem æternæ salutis reliquit in corde sui Magistri, qui pro eo Deum enixè precabatur, quòd velociùs è purgatricibus flammis ad cælum subvolaret. Desiderabat etiam nosse, in quonam nunc esset statu, & qualemnam gradum gloriæ consecutus fuisset. Arramen longè aliter res agebatur de isto studioso, quàm Doctor sibi imaginabatur. Silo cum in suo cubili solus degeret, ecce, intrat mortuus ignito indutus cucullo flebiliter suspirans, Doctor Silo ob hoc totus consternatus, resumpto tamen animo sciscitatur, quisnam esset ? Ego sum, respon-

des

det mortuus, tuus infelix discipulus : In quale infortunium incidisti ? ulterius interrogat Doctor Silo ; & mortuus horrendis blasphemis, ait : quid percontaris de meo infortunio ? Maledictus sim ego, & maledictus sit dies, in quo sum natus, & in quo sum baptizatus, & in quo te nosse ceppi. Maledictus sit Deus, qui mihi hanc infixit pœnam : maledicti sint Angeli Dei, qui ei seruiunt : maledicti sint Sancti, qui eum venerantur, & maledicti omnes, qui eum laudant in cœlo & in terra. Ad hæc Doctor Silo, nonne confessus es ? ait, & peccata tua amaris expiasti lachrymis ? Confessus sum ea, responder mortuus, sed sine contritione, sine proposito peccata relinquendi. Non enim tum lachrymatus super peccata mea, sed super insperatam mortem, & quod terrena mea bona sicut & spem his fruedi deserere cogar. Scito fermè omnes malè confiteri, qui pœnitentiam ad finem vitæ prolongant. Ah ! quantos sustineo cruciatas sub candenti hoc meo cucullo, plus me aggravat, quàm si à maxima turri Parisiensi oppressus, sub ea jacerem. Doctor Silo ; crede, si homines ita intelligerent, quàm malè sit apud inferos, profectò non peccarent ; quare te certiore reddo, etsi omnes pœnæ, dolores, tribulationes, miseræ, omniaque Martyria, quæ fuerunt à creatione mundi usque in hanc horam, si, inquam, hæc singula in unum congererentur, non esset ulla comparatio, imò foret res tolerabilis respectu dolorum, quos omni hora patior : ut autem magis meorum suppliciorum acerbiter intelligas, porrigere explicatam manum tuam, & excipe minimam guttulam sudoris mei : Doctor Silo extendit manum suam, & defunctus unam guttulam sudoris è fronte absterse immittit in manum sui Magistri, quæ ipso temporis instanti tantâ vi illam penetravit, ut ingenti cum cruciatu foramen nucis avellanæ recondendæ capax fecerit, qui cruciatus adeò doctorem affecit, ut semianimis in terram conciderit. Hinc defunctus disparuit horrendo strepitu post se relicto. Inter eà Doctor Silo solo dejectus à suis domesticis reperitur sine sensu, & cum perforata manu, ad lectum deportatur, aptis fomentis refocillatur. Pristinæ jam sanitati restitutus scholam repetiit, suisque discipulis, quidnam secum accidisset, per ordinem enarravit, & ad hujus veritatis confirmationem palam omnibus vulnus manûs suæ videndum præbuit. Hinc singulos ad mundi contemptum hortabatur, & ut sui condiscipuli irreparabili damno saperent, fluxisque sæculi cupediis valere iussis ad tutum religiosæ vitæ portum confugerent, eos monebat. Finitâ exhortatione, ut se cæteris exemplum præberet, scholâ egrediens dixit :

*Linguo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis :*

*Ad Logicam pergo, que mortis non timet Ergò.*

Sic valedicens mundo Monachum induit, quem multi ex discipulis secuti se DEO consecrârunt ; reliqui in sæculo manentes, vix unus piam mortem obiit.

14. Contempletur nunc aliquis lachrymas ab hoc infelici studioso in mortis agone fusas, & videbit eas fuisse lachrymas crocodilinas. De hoc animam scribunt naturalistæ, quòd sit avidissimum ad comedendas humanas carnes, unde obvium

sibi hominem mox occidit, ejusque carnem devorat, quâ consumptâ cranium unguibus arripiens ipsum non sine lachrymarum effusione deplorat. Caula verò hujus lachrymationis non est compassio erga hominem mortuum, sed quia non amplius reperit carnem in cranio, ideo illud deplorat. Porrò tales lachrymas spargunt multi agonizantes; postquam enim se variis sceleribus satiârunt, arripiunt in manus Crucifixum, flent amarè, & suspirant. Ad! dicunt hæc contemplantes, quàm felicem mortem obiit iste & ille, quomodo non sua peccata desleuit? Sed pertimescendum ne similes lachrymæ sint lachrymæ Crocodili. Multi enim non ob sua peccata, sed ob derelictionem voluptatum mundanarum, honorum, divitiarum, lachrymantur, quod satis abundèque conspici licet in eis, qui ex gravi infirmitate sani evadunt, hi namque brevi ad suas pristinas & damnosas consuetudines se convertuat, quod sanè non leve indicium est, illorum pœnitentiam & propositum se emendandi non fuisse efficac ad salutem obtinendam. Quæ omnia nunc dicta stabilita manent, Historiæ subsequenti narratione.

*Historia.*

15. Casarius meminit, suis temporibus in præfata urbe Parisiensi fuisse quendam Canonicum, qui pingue beneficium seu præbendam habebat, hic quasi in omni commoditatum ac voluptatum genere narabat, conviviis non rarò intererat, honoribus & muneribus etiam cumulabatur, denique quid carni volupe est, hoc ille non carebat: lethaler tandem ægrotare cœpit, Confessarius absque mora vocatur, infirmus confitetur, dolores mortis expresserunt copiosas lachrymas, & dum actum de se esse cognosceret, promisit Confessario vitæ emendationem. Post hæc perceptis Ecclesiæ Sacramentis videlicet Altaris & extremæ Unctionis spiritum exhalavit. Sumptuosa sepultura huic defuncto Canonico celebrabatur, viri præcipuæ nobilitatis insignes defuncti cadaver ad sepulturam commitabantur, cœlum ipsum serenum apparebat, ac si hunc Canonicum, velut cœli Candidatum veneraretur, dum præter spem totum innube se exhibebat. Hinc communis populi vox passim resonabat: O felicem virum, quem Deus in vita & in morte illustrem fecit! In vita quidem magnis divitiis & reditibus, nobili proficiâ, pulchritudine & decore corporis, ac tam felici statu; in morte verò tam splendidâ sepulturâ, cum acceptis devotissimè Sacramentis in præsentia multorum ardenter orantium animam suam Deo commendaverit. O igitur beatum Canonicum divinis gratiis tam in vita quàm in morte obvallatum! Sed Ah! Quâ longè distant Judicia Dei à Judiciis hominum. Post dies aliquot apparet hic Canonicus cuidam suo fideli amico, eique significat, quemadmodum æternis ignibus addictus esset. Nonne confessus es, interrogat alter, & SS. Sacramenta accepisti? Hoc quidem feci, sed defuit vera contritio, & propositum me emendandi: quamvis enim mihi proposuerim à peccatis abstinere, attamen sensu in corde meo inclinationem, quæ me, si ad pristinam sanitatem venirem, ad præcedentem malam & voluptuosam magis inclinavit, quàm ad propositum melioris vitæ: putabam enim me non posse vivere absque consuetis cupidis & hono-

rum complacentiâ, in hac cogitatione versanti abbreviavit mihi Deus vitam, & præcipitavit me ad profundum inferni.

16. Optandum sanè foret, ne plures sic perirent ob defectum veræ contritionis; & licet hanc aliqui peccatores in fine vitæ quandoque habeant, facile tamen ob inveteratam consuetudinem ab ea rursus deflectunt, & affectu ad peccata redeunt dæmone instigante. Sic circumvenit hic versipellis hostis quendam moribundum de suis peccatis jam ritè confessum. Cùm enim hic antè meretricem voluptatis carnalis splendæ causâ secum haberet, & mortis extremitate constriktus eam repudiâset, quò se seriò ad Deum converteret; Quid ageret dæmon, ut ante devotum sibi clientem rursus suæ Tyrannidi subjugaret. Aggressus est ergò eum hisce: quomodo oblivisceris amicæ tuæ: cui moribundus, ah! utinam eam nunquam novissèm, Diabolus iterum redit, dicens: illa te intimè amat, & tu eam tam parum diligis? Moribundus; quid nunc habeo, quòd hæctenus tantoperè illam amore obsceno fuerim prosecutus, nisi quod ego & illa ad damnationem properemus? Verfutissimus hostis etsi jam bis victus tertiâ vice venit, dixitque: Non miror te similia loqui, cùm mortem timeas; quid si autem multi tibi superessent anni, nonne ad pristinam amicitiam cum dilecta amica tua redires? Si hoc esset, dicebat in corde suo agonizans, absque dubio repeterem antiquum meum amorem, in hoc consensu simul à dæmone deceptus, mortuus & damnatus fuit. Et hæc est causâ, quare tot pereant, quia in Confessione ultima, aut deest propositum efficax à peccatis abstinendi, aut si adsit, hoc facilè à diabolo corrumpitur. ut vidimusex nunc dicta Historia. Fusiùs charè frater sermonem, quàm arbitrabar, pertexui, unde calamum retrahens relinquo voluntati tuæ plura ex his positis exemplis documenta eruere, ut cognitis mundanorum hominum, sicut & in alorum Religiosorum periculis possis salutem tuam in tutiori collocare loco. Vale.

Francis-  
cus Pez-  
zoli  
Historia.

## S E R M O XLI.

D E

### Augustissima Eucharistia.

*Omnes sitientes venite ad aquas; venite, emite absque argento, & nulla commutatione, vinum & Lac. Isa. 55.*

P A R S P R I M A.

1. **Q**uemadmodum, si Regius Thesaurus aperiretur cum plenaria licentia cuilibet de eo reportandi, quantum vellet, nullus reperiretur, qui non ad hunc thesaurum properaret, & quantum posset, acciperet. Quan-